



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Antiquae Lectionis Tomus ...**

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1602**

Descriptio Pommeraniæ, & quare sic dicta sit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

DESCRIPTIO POMMERANIA,  
 & quare sic dicta sit.

**P**OMMERANIA provincia ex ipsa nominis etymologia, qualitatem sui nominis & situs indicare videtur. Nam Pommo lingua **SCLAVORVM**, iuxta, sonat, vel circa; moris, ante mare. Inde quasi **POMMORIZANIA**, id est iuxta vel circa mare posita. Est autem terra hæc, si totam eius positionem tam in stagnis & refusionibus marinis, quam in locis campestribus considerare velimus, quasi signatur triangula, quia tribus lateribus, quasi tribus lineis per capita sibi coherentibus tres angulos habere deprehenditur, ita tamen, ut vnus angulus duobus reliquis sit extensior, qui etiam quasi ad **LEVITIAM** & prope **SAXONIAM**, versus **Aquislonem** ad fluctus Oceani paulatim recuruatus demittit. Itaque **POMMORANIA** post se in Oceano **DACIAM** habet, & regiam insulam parvam, sed populosam, super se autem idem ad dexteram septentrionis **FLAVIAM** habet & **PRVSCIAM**, & **RVSCIAM**. Ante se vero, id est versus aridam parua extremitate se attingentes fines respicit **VNGARIÆ** ac **MORAVIÆ**. Deinde **POLONIAM** spaciofa contiguitate vsq; ad confinia **LEVITIÆ** & **SAXONIÆ** se habet, attingendo extendentem. Gens ista terra marique bellare perita, spolijs & raptu viuere consueta, naturali quadam feritate semper erat indomita, & à cultu & fide Christiana penitus aliena. Terra vero ipsa, piscium & ferarum copiosam incolis præbet abundantiam, omnigenumque frumentorum & leguminum siue seminum fertilissima est; nulla mellis feracior, nulla pascuis & gramine fecundior. Vinum autem nec habent nec quærunt, sed melleis poculis & ceruisia curatissime confectâ vina superiõe  
 falce-

falernica. Sed de his aliàs. Nunc autem expediendum, quod multis admirationi est, quare videlicet, hi homines tam procul ab oriètali FRANCIA, & à BABERGENSI Ecclesia, immo à toto pene orbe diuisi non alium quemquam de vicinioribus regnis, vel Ecclesijs baptistam & prædicatorem, quam Babergensem Episcopum habere potuerint. Sed hic fructus ad incrementum beatitudinis eius illi à Deo donatus est.

## INCIPIT LIBER II.

### QVÆ CAUSA SIT POMMERANORVM CONVERTENDORVM.

**T**EMPORE quo dominus Episcopus Babergensem regebat Ecclesiam, POLIZLAUS vir strenuus & prudens & ingenuus atq; auitæ nobilitatis decore illustris Ducatum POLONIÆ administrabat. Qui dum se gnauiter ac prouide gereret, omnes terræ suæ terminos sub prædecessoribus suis hostium violentia inuafos & perturbatos, & castra, vrbesq; à sua potestate vi alienatas manu robusta recuperare præualuit. Cumq; bellicos actus suos scælici exitu sæpe prosperari videret, erga Deum quidem à quo sibi sciebat præstari victoriã, humilior atq; deuotior, erga hostes vero erectior atque animosior factus, mutua vice terminos eorum ferro & ignis attemptare, prædasq; & manubias frequenter abstrahere, & personas captiuare solebat, quousque assiduis cladibus ac terrore contracti multis obsequijs & dono-

I.